



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE ECCLESIA|| TRIVMPHANTE,|| TRIBVS LIBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

XII. Explicatur sententia Catholica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53909](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53909)

CAPVT XII.

Explicatur sententia Catholica.

Nunc explicanda est sententia Catholicorum; de qua Theologi tractant in 3 sent. dist. 9. Est autem PRIMO loco obseruandum, adorationem tres actus complecti. PRIMÒ, actum intellectus, quo apprehendimus excellentiam alicuius. SECUNDO, actum voluntatis, quo nos illi interiori inclinamur, & aliquid volumus facere actu interiore, vel exteriori, quo protestemur eius excellentiam, & nostram subiectionem. TERTIÒ, actum exteriori, quo caput inclinamus, vel genu flectimus, vel aliquid aliud signum subiectionis ostendimus. Ex quibus actibus secundus est maximè proprius, & essentialis; nam primus actus potest esse sine adoratione; tertius etiam cum irrisione. //

SECUNDO obseruandum est, tot esse species adorationis, siue cultus, quot sunt species excellentiæ, vt B. Thomas docet 2. 2. quæst. 103. art. 3. honor enim, siue cultus debetur personæ propter excellentiam eius. Sed, quod ad præsens institutum pertinet, tres sunt species excellentiæ. PRIMA est excellentiæ diuina, & infinita, cui respondet prima species cultus, qui à Theologis dicitur latria.

SECUNDA est excellentiæ humana; seu naturalis, quæ posita est in humanis virtutibus, dignitatibus, gradibus, &c. Cui respondet secunda species cultus, quæ dici potest cultus civilis, & obseruantia quædam humana, quamquam hæc in alias multas species diuidi potest, vt Arist. docet lib. 9. Ethic. cap. 2. nam alius honor debetur patri, alius principi, alius præceptori, alius sapienti, vel erudito, &c.

TERTIA est excellentiæ quædam media inter diuinam, & humanam, qualis est gratia & gloria Sanctorum; ista enim sunt dona supernaturalia, & excellentissima, & huic excellentiæ respondet tertia species cultus, quam Theologi vocant duliam; & quia inter sanctas creaturas humanitas Christi, si seorsim consideretur, singulariter excellit propter unionem ad verbum; & similiter B. Virgo, vt mater filij Dei, ita præstat alijs Sanctis, vt dici possit Domina & Regina nostra,

FFF fff

stra,

stra, quòd aliis Sanctis non conuenit, nisi admodum imperfectè; idèd Theologi hanc tertiam speciem, quam uocant duliam, diuidunt in duliam proprie dictam, & hyperduliam, tribuentes illam sanctis ceteris, istam soli humanitati Christi, & matri eius.

TERTIO obseruandum est, has tres adorationis species non esse uniuocas, sed analogas; ut enim excellentia non dicitur uniuocè de excellentia Dei, & creaturarum, ita cultus debitus ob excellentiam, non potest dici uniuocè de cultu Dei, & creaturarum.

Notandum quoque est QUARTO, has ipsas species adorationis, quarum ad actus interiores, optimè distingui. nam PRIMA species, id est, latria, est quædam summa voluntatis prostratio, & inclinatio cum apprehensione Dei, ut primum principij, & ultimi finis, atque adèd summi boni, qualis adoratio soli Deo conuenit.

SECUNDA species, id est, cultus civilis, est longè minor inclinatio voluntatis, cum apprehensione certa humane excellentiæ.

TERTIA species, est media quædam inclinatio voluntatis cum apprehensione excellentiæ plus, quàm humane, & minus, quàm diuinæ. At quantum ad actus exteriores non est facilè species adorationum distinguere; nam omnes facti actus exteriores communes sunt omni adorationi, excepto sacrificio, & quæ ad illud referuntur, templis, altaribus, & sacerdotibus. uoluit enim Deus hunc cultum sacrificij soli exhiberi, ut August. docet lib. 10 ciuit. Dei, ca. 4. & Theodorus lib. 8 ad Græcos, qui est de Martyrib. & patet ex illo, Exod. 22. *Qui sacrificat Diis, eradicabitur, præterquàm Domino soli.* Ex aliis actibus exterioribus, qui sunt communes cultui Dei & cultui creaturæ, non potest euidenter colligi, an aliquis cultum Deo debitum tribuat creaturis, nec ne; nam Abraham eodem actu incuruationis usq; ad terrâ adorauit Deum Gen. 17. & Angelos Genes. 18. & homines Gen. 23.

QUINTO obseruandum, latriam interdum sumi pro ipso actu, quo colitur Deus; interdum pro habitu, quo homo redditur promptus ad colendum Deum. Hunc autem habitum esse uirtutem quandam specialem & moralem, beatus Thomas docet in lib. 3. sent. dist. 9. quæst. 1. neque obstat quod B. August.

Augustin in Enchirid. 3. cap. & 12. Trinit. cap. 4. dicat, Dei cultum consistere in fide, spe, & caritate; ubi videtur velle, latria esse generalem virtutem conflatam ex tribus Theologicis. Nam sicut caritas, & prudentia sunt virtutes speciales, quia habent speciale obiectum, & tamen simul sunt aliquo modo generales, quia dirigunt, aut ordinant actus omnium virtutum: ita latria virtus est specialis propter speciale obiectum suum, id est, honorem diuinum; & tamen simul est generalis, quia vititur ad honorandum Deum actib. omnium virtutum, & præcipue fidei, spei, & caritatis; nam summus honor Deo defertur, cum per fidem protestamur eum esse primam veritatem; per spem esse potentissimum; per caritatem esse optimum. Itaq; ipsius actus fidei obiectum, est Deus: actus autem ipse fidei est obiectum religionis: & ideo fides est virtus Theologica, quia circa Deum versatur. Religio non est virtus Theologica, quia versatur circa creaturam; actus enim fidei non est Deus, sed quid creatum, idem dici de spe, & caritate potest; obiectum enim earum est Deus, actus vero ipsarum ad obiectum religionis pertinere possunt.

Sexto observandum, quantum ad nomina; in lingua Hebraea nullum esse nomen quo proprie designetur cultus solius Dei, sed omnia esse communia, & idem nomen nunc tribui cultui creaturæ, nunc negari, prout nimirum aliter atq; aliter accipitur; nam quod Græci verterunt, Deut. 6. *ἀντὸ πρόνω λατρεύσεις*, *illi soli servies*, in Hebræo est *תעבד יהוה* verbum autem *תעבד* tam est commune Hebræis, quam Latinis, servire. Similiter Exod. 20. *Non adorabis ea*, quod Græci vertunt *ὁ θεοσκυψήσεις*, in Hebræo est *תתקוה* & ponitur in omnibus locis supra citatis Genes. 17. 18. & 23. & alibi ubicunque dicuntur vel homines, vel Angeli, vel Deus adorari. In lingua Latina similiter non habemus vllum vocabulum quod solum dicatur de cultu Dei, ut August. notavit libro. ciuit. Dei, cap. 1. & hinc est quod Patres vocabula adorationis, & religionis nunc concedunt creaturis, nunc negant, prout variè accipiuntur.

B. HIERONYMVS in epist. ad Riparium contra Vigilantium dicit, nec Martyrum reliquias, nec Angelos, nec aliquid crea-

FFFFF 2

crea-

creatum coli posse, vel adorari; Et tamen ipse in Epitaphio Paulæ in fine dicit: *Vale o Paula, & cultorem tuum orationibus iuuua.* Et libro 2. Apologiæ contra Ruffinum dicit: *Veni Bethlehem, praesepe Domini, & in cunabula adorauit.* Sic etiam AVGVSTINVS lib. de vera religione, cap. 55. dicit, religionis cultum nec Angelis, nec sanctis hominibus iam defunctis deberi, sed soli Deo; & tamen lib. 20. contra Faustum, cap. 21. dicit: *Memorias Martyrum populus Christianus religiosa solennitate concelebrat.*

Itaq; aliquando accipiebant nomen religionis & adorationis vt cõuenit principali analogato, id est, virtuti illi speciali, quæ habet pro obiecto cultum Dei, & quæ distinguitur specie ab ea virtute, qua colimus Sanctos: aliquando verò accipiebant largius pro omni illa virtute qua colimus vel Deum, vel Dei amicos, aliasq; res sacras, & distinguitur à cultu politico, & merè humano. In lingua Græca vna vox est propria cultui Dei, nempe *θεοσέβεια*, quæ non multùm est in vsu. Præter istam vocem sunt alia quatuor *εὐσεβεία* pietas, *σέβεια* religio, & *λατρεία*, & *δουλεία* seruitus; sed nullũ horum est, quod non interdum attribuatur etiam creaturis.

Sed quamuis ista vocabula non sint propria diuino cultui, secundum primam ipsorum vocabulorum institutionem, tamen Schola Theologorum non sine causa excogitauit illam distinctionem de latria & dulia. Nam cum in re inueniatur manifesta distinctio inter cultum Dei & Sanctorum, oportebat etiam ad vitandam equiuocationem inuenire distincta vocabula: optima autem erant ista duo. PRIMO, qui scriptores sacri vocem *λατρεία* nunquam vsurpant, nisi pro cultu solius Dei, vt patet ex toto nouo Testamento: vocem autem *δουλεία* vsurpant pro omni seruitute, tam Dei, quam hominum. Neq; obstat, quod in versione Græca Leuitici habetur semel nomen latriæ, pro seruitio humano: nam textus Hebræus & Latinus vulgatæ editionis habent vocem cõmunissimã, quæ ad omne seruitium accommodatur. DEINDE, antiqui Patres nunquam nomen latriæ tribuunt, nisi Deo, cum tamẽ etiam Sanctos coli dicant, vt patet ex Aug. lib. 10. ciuit. Dei, cap. 1. & lib. 20. contra Faustum, cap. 21. & ex omnibus

bus Patribus Nicæni Concilij II. vt videre est act. 3. 4. 6. & 7. necnon ex Damasc. orat. 1. & 3. de imaginibus. & Iona Aurel. lib. 1. de cultu imag. & Beda in cap. 4. Luc. immò omnes veteres cultum falforum Deorum idèd vocauerunt idololatriã, non idoloduliam, qui videbant cultum Deo proprium, secundum Ecclesiasticum loquendi modum, vocari latrariam, non duliam, vt August. notauit quæst. 61. in Genes.

Neque obstat, quòd isti Patres rarò meminerint nominatim duliæ; nam cum dicunt, Sanctos & imagines coli debere, & nõ latraria; satis indicant, debere coli alia specie cultus; eam nos vocamus duliam, vt eam vocat Beda in ca. 4. Luc. & Magister cum omni Schola lib. 3. sent. dist. 9. Et idem insinuat August. lib. 10. ciuit. Dei, cap. 1. vbi dicit, cultum debitũ creaturæ non vocari Ephes. 6. ab Apostolo latrariam, sed alio nomine. Apostolus autem ibi vocat duliam. Itaque non erat opus, vt Martinus Peresius in suo opere de traditionibus, parte 3. consideratione 7. diceret, non sibi multum probari nomen duliæ sumptum pro cultu Sanctorum, cum dulia propriè significet seruitutem, & nos non simus serui Sanctorum, sed conserui. nam in Scripturis dulia non solùm accipitur pro seruitute mancipiorum, sed etiã pro honoraria subiectione, vt Galat. 5. *Διὰ τῆς ἀγάπης δουλεύετε ἀλλήλοις;* Per caritatem seruire inuicem. Hoc ergo modo potuerunt Theologi cultum Sanctorum vocare duliam.

CAPVT XIII.

Afferitur argumentis sententia Catholica.

SVPEREST iam, vt probemus cultum aliquem minorem diuino, & maiorem ciuili & merè humano, sacris rebus, sanctis Angelis, & hominibus deberi.

PRIMUM argumentum sumitur ex illo Psalm. 98. *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est;* vbi ad litteram per scabellum pedum Domini, intelligitur arca Testamenti. Nam 1. Paralip. 28. dicit Salomon: *Parauit domum, Sibi requiesceret arca Domini, & scabellum pedum Dei nostri.* Nec sine causa dicebatur arca scabellum pedum Domini;